

ONus fortassis, quod ferre non valeant, in humeros meos suscepisse videbor, dum abstrusos Philosophi, cui studio quaesita obscuritas σκοτεινῶς appellationem jamdudum peperit, sensus atque opiniones peruestigare aggredior. Illius enim scripta tantis ænigmatum tenebris obvoluta fuerunt, ut jam olim cum integra adhuc doctorum hominum manibus tererentur, non Grammaticorum tantum frustra imploratum fuerit ad explicanda ea auxilium, sed Philosophorum etiam, quorum alias ingenio atque mentis aciei nihil impervium esse videbatur. Sane illos quod attinet, quantumcunque licet attollerent supercilium, modestius tamen ut de se sentiant, quam parum in hujus Philosophi scriptis valeant memores, eos hortatur Sextus, πῶς γὰρ τις δύναται, inquiens, τῶν ὠφρευωμένων Γραμματικῶν Ἡρακλείτου σωεῖναι; Id quod suffragio suo confirmatum dedit Aristoteles, qui vel in ipso textu librorum Heracliti interpungendo accipites hæsisse eos testatur. Ipsa ejus verba adducere eo magis operæ pretium erit, quod iis oppido ex parte obscuris, lucis nonnihil afferre interpretatione nostra forsitan valeamus. Ὅλως δὲ δεῖ, inquit, εὐανάγνωστον εἶναι τὸ γεγραμμένον καὶ εὐφραστον. ἔστι δὲ αὐτὸ ὅπερ οἱ πολλοὶ συνδέσμοι καὶ ἔχουσιν· ἔδὲ ἂ μὴ ῥαδίον, διασιῶσαι, ὡς περ τὰ Ἡρακλείτου. τὰ γὰρ Ἡρακλείτου διασιῶσαι ἔργον διὰ τὸ ἀδηλον εἶναι ποτέρῳ πρόκειται τῷ ὑστερον ἢ τῷ πρότερον. οἷον ἐν τῇ ἀρχῇ αὐτῶν τῶν συγγραμμάτων· φησὶ γὰρ ἔ λόγος τῶ δ' εὐνοῖαι αἰεὶ ἀξιώετο ἄνθρωποι γίνονται· ἀδηλον γὰρ τὸ αἰεὶ πρὸς ὁποτέρῳ διασιῶσαι. Hæc nullo vero sensu ita vertit Riccobonus: *Omnino autem oportet facile legi quod dictum est, et proferrī posse. Est vero idem, quod multe conjunctiones non habent. Nec quæ non facile est interpungere, ut quæ sunt Heracliti. Nam quæ sunt Heracliti interpungere operosum est, quia incertum est utri adjaceat, posteriorine, an priori, ut in principio ipsius libri. Inquit enim, Rationis hujus quæ est semper imperiti hominis fiunt. Incertum enim est illud semper utri interpungas.* Ista certe Δηλῆς τινῶν δεῖσθαι κολυμβητῶν videntur, duo tamen potissimum sunt, quibus turbatus interpretes plus tenebrarum quam lucis Autori suo intulisse videtur. Primum est vox συνδέσμων, quam conjunctionem reddit, id enim vocem istam vulgo significare omnes sciunt. Attamen hoc loco orationis potius vitium eam notare crederem, cujus periodi

Sext. Emp. L. I.
adv. Mathe-
mat. p. 60.
Aristot. Rhet.
III. 5.